



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 3. Quodnam voluntarium sufficit ad Mortale?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

qui consensus dicitur plenus, ac perfectus. Nam si alterutrum desit, violatio legis non censetur imputabilis ad gravem culpam, nec gravis offensa, nec contemptus Dei. Consensus autem plenus, ac perfectus est ille, qui datur ab homine vigilante, plene sui compote, & expeditum habente rationis usum, qui advertit ad malitiam actus, seu omissionis, vel potuit, ac debuit advertere. Quod si ad eam advertere non possit ex defectu cognitionis habitualis malitiæ, non excusatur, si ignorantia fuit vincibilis.

Q. 3. *Quodnam Voluntarium sufficit ad Mortale?*

Not. Peccatum est essentialiter voluntarium. *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* ait S. August. l. de vera religione c. 14. quia peccatum est actio, vel ommissio imputabilis homini ad culpam, vituperium, & poenam. At nil potest esse sic imputabile homini, nisi sit ei liberum, proindeque voluntarium. Quippe omne liberum est essentialiter voluntarium, licet non omne voluntarium sit liberum, ut patet in amore beatifico: quia liberum superaddit voluntario immunitatem ab omni necessitate intrinseca, & physica. Voluntarium autem est id, quod pro



procedit à principio intrinseco, nempe voluntate cum intellectu cognitione, vel actuali, vel virtuali, & interpretativa, hoc est, quæ potuit, & debuit haberi, licet defuerit.

Dividitur. 1. In Perfectum, quod fit cum plena advertentia, plenoque consensu; & in Imperfectum, quod fit cum semiplena advertentia, & semipleno consensu, ut in semi-dormiente contingit. 2. In directum, indirectum, & interpretativum. Illud est directè voluntarium, quod in se, ac secundum se volitum est: illud est indirectè voluntarium, quod non est in se, ac secundum se volitum, sed censetur volitum in alio directè volito, vel tanquam cum illo connexum, vel tanquam effectus inde sequens, vel propter alias causas. Illud est interpretativè voluntarium, quod non est positivè volitum, sed tamen secundum prudentem æstimationem censetur volitum, & meritò imputatur voluntati, eò quòd non fecerit, vel non omiserit, quod debebat, & poterat facere vel omittere. Sæpè hoc voluntarium cum indirecto confunditur.

*Resp.* 1. Consensus sufficiens ad mortale est ille, qui ab homine perfectè vigilante, & plenè sui compote datur actioni, vel omissioni graviter malæ, cujus malitiam actu cognoscit, vel cognoscere potuit, ac debuit. Quia talis consensus est plenus, & sufficienter liber, ac humanus, ut actio  
vel



vel omissio sit imputabilis ad culpam gravem, cum ejus malitia, aut malitiæ periculum potuerit, ac debuerit cognosci, & vitari. Neque enim inadvertentia vincibilis, ac culpabilis voluntarium plenum impedit in æstimatione morali.

*Resp. II.* Ad peccatum mortale non requiritur, ut malitia moralis sit directè, & propter se volita, quod potius diabolicum est, quàm humanum; sed sufficit, ut sit indirectè, vel interpretativè volita, hoc est, ut voluntas velit ex quocunque motivo aliquid graviter malum, etiamsi ejus malitiam secundum se aversetur, modò cognoscat, vel possit, ac debeat cognoscere ejus malitiam. Quia 1. disconvenit naturæ rationali, & legi divinæ velle, aut acceptare ullo modo id, quod malum, ac illicitum est; & lex naturalis prohibet, ne malum ullo modo velimus, & eligamus, non solum directè, sed etiam indirectè, & interpretativè: malum enim nullatenus est volibile, sed malitia actûs exigit quocunque modo fugi. 2. Meritò imputatur voluntati ad culpam, & vituperium, quòd malum velit non solum directè, sed etiam indirectè, vel interpretativè, cum nempe non refugit, nec impedit malum, quod potest, & debet repudiare, & impedire. Nam tunc non fugit, nec aversetur malum, ut debet; nam debet illud fugere, & averfari summè, & omni



modo, cum sit summè odibile, & omni modo fugiendum. Igitur ad mortalem culpam ex parte voluntatis sufficit voluntarium indirectum, & interpretativum, ut consentiunt omnes.

*Obj* Ut actus sit bonus, ejus bonitas debet esse directè volita. Ergo à pari &c. *R. n.* con. disparitas est, quòd bonitas moralis, seu honestas sit appetibilis directè, & secundùm se, exigatque sic appeti; & ut actus sit bonus moraliter, debet tendere in objectum modo decenti naturam rationalem, ac proinde debet in illud tendere sub ratione honesti, & propter bonitatem. E contra malitia actûs exigit quocunque modo fugi, & ut actus sit malus, sufficit, ut appetat id, quod est malum, aut quomodocunque velit id, quod est malum: nam hoc ipso disconvenit naturæ rationali, & legi divinæ.

*Q. 4. Quanam advertentia sufficit ad mortale?*

*Resp. I.* Potest esse peccatum mortale imputabile sine advertentia actuali malitiæ, vel suspitione, aut dubitatione de illa, illiusve periculo. Quia 1. dantur peccata imputabilia ad culpam mortalem, quæ tamen fiunt ex ignorantia vincibili malitiæ, & dum operans putat se rectè age.